

Programma
NATALITIIS IMMA-
NUELIS NOSTRI SACRO-
SANCTUM,

In quo

Ardens suspirium Ecclesiæ Judaicæ

Esa. c. 45. v. 8. pro mittendo in carnem Messia,
piâ meditatione expendendum
proponitur

A

RECTORE ET SENATU ACADE-
MIÆ REGIOMONTANÆ,

ANNO SALVTIFERÆ REPARATIONIS
M. DC. XXXIV.

*Dominus custodiat exitum tuum, & introitum tuum,
ex hoc nunc usq; in seculum!*



Typis Laurentij Segebadij,

177
245160

„ S Emperquidem diversis modis, multisq̄ mensuris
 „ S humanogeneri bonitas divina consuluit (*licet ita*
 „ *nobis telam presentis programmatis verbis Leonis spiritu*
 „ *plenis ordiri*) & plurima providentiæ suæ munera o-
 „ mnibus retrò seculis clementer imperijit: sed in no-
 „ vissimis temporibus omnem abundantiam solitiæ be-
 „ dignitatis excessit, quando in Christo ipsa ad errantes
 „ Veritas, ipsa ad mortuos vita descendit; ut Verbum
 „ illud Coæternum & coæquale Genitori, in Unitatem
 „ Deitatis suæ naturam nostræ humilitatis assumeret, &
 „ Deus de Deo natus, idem etiam Homo de Homine nasce-
 „ retur. Id quod *magnum pietatis mysterium* licet omnibus
 „ diebus, atq; temporibus Historia Evangelica Christia-
 „ nis inculcet; Hanc tamē adorandā in cœlo & in terra
 „ Nativitatē, nullus nobis dies magis, quā̄m hodiernus
 „ insinuat, & nova etiam in Elementis luce radiante
 „ totam sensibus nostris mirabilis sacramenti ingerit
 „ claritatem. Hodie Verbum apparuit carnē vestitum,
 „ & quod nunquam fuit oculis humanis visibile, cepit
 „ etiam manibus esse tractabile & palpabile. Hodie ge-
 „ nitum in nostræ carnis animæq; substantia Salvato-
 „ rem Angelicis vocibus didicere Pastores, & apud Do-
 „ minicorū præfules gregū hodie evangelizandi forma
 „ præcondita est, ut nos quoq; cum cœlestis militiæ dica-
 „ mus exercitu: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax ho-*
 „ *minibus bonæ voluntatis!* Quamvis igitur illa infantia,
 „ quam Filij DEI non est dedignata Majestas in virum
 „ perfectum, ætatis adjectione provec̄ta sit, & consumma-
 „ to passionis & resurrectionis triumpho, omnes susce-
 „ vat tamen nobis hodierna Festivitas Nati JESU ex
 „ Maria Virgine sacra primordia, & dum Salvatoris no-
 „ stri

1
Admiramur ortum invenimus nos nostrum cele-
brare principium: Generatio enim Christi origo est populi
Christiani, & Natalis capitis, Natalis est corporis. Quic-
quid n. hominū in quacunq; mundi parte credentium
regeneratur in Christo: interciso originalis cramine
vetustatis, transit in novum hominem renascendo, nec
jam in propagine habetur carnalis patris, sed in ger-
mine Salvatoris, qui ideo filius hominis est factus, ut nos
filij DEI esse possemus: Nisi n. ille ad nos hac humilitate de-
scenderet, nemo ad illum ullis suis meritis perveniret. Ha-
ctenus Leo sermon. 4. & 6. plenissimè non minus, quàm
eruditè, & eleganter tum solemnè Natalis Dominici
festivà panegyri celebravit, tum Mysterium hocce de
Christi nativitate ὁμολογῶ μέγας μέγας verbis emphaticis
adumbravit, tum deniq; fructum salutarem ex Nativita-
te Immanuelis ad universum genus humanum redun-
dantem perspicuè ob oculos posuit. Cum verò de hisce
ut & id genus alijs pietatis Christianæ partibus & capti-
vibus, in publicis Homiliis sollempnibus Natalitiorum
Domini institui ac proponi solitis ex professo agatur,
Cives nostros Academicos eò remittimus: ac pro more
antiquitatis hac in Academiâ frequentato in gratiam stu-
diosæ juventutis, classicum Dicitum ex Vet. Test. & in
specie quidem votum ac suspirium Propheta Esaiæ, totiusq;
illius temporis Ecclesia de mittendo cœlitus Messia, &
in tempore plenitudinis ex Virgine nascituro, hac vice
expendendum proponemus, quod ita spiritus S. confi-
gnatum reliquit Esa. c. 45. v. 8.

הָרְעִיפוּ הַשָּׁמַיִם מִמַּעַל וְשִׁחֲקוּ יְהוָה צְדָקָה תַּפְתַּח אָרֶץ וַיִּפְרוּ יַעַץ
וְצִדְקָה תִצְמַח יַחַד אֲנִי יְבָרְאֶתִי :

Hoc est, Rorate cœli desuper, & nubes stillent justiciam, aperir-
tur terra, & germinent salutem & justitiam producat pari-
ter. Ego Dominus creo ipsum, Ora-

Oraculum hocce Spiritus S. Vetus Ecclesia Græca & Latina intellexit de salutari adventu Verbi DEI seu Filij DEI in carnem; Unde etiam nunc inter cantiones vel Hymnos Adventum Domini prædictum celebrantes reperitur, & introitus loco, uti vocant, canitur. Non desunt tamen plurimi, qui alio sensu verba Esa. interpretantur; quorum sententia stante, vix amplius sensu priore, videlicet de *Mysterio Incarnationis* poterit explicari, ita ut imposterum nec pro concione ad populum urgendum; nec in Ecclesia inter Hymnos de tempore pro confirmando & devotè celebrando articulo Incarnationis retinendum esset. Proinde opæ precium fuerit, oraculum præsens in timore Domini piè expendere, ab alienis opinionibus & explanationibus *Mysterium Incarnationis* Domineæ elevantibus & evacuantibus vindicare, genuinumq; sensum ex intentione Spiritus S. Oraculo huic competentem restituere, in medium afferre, ac firmissimis argumentis, in honorem *Immanuelis nominis* recens nati, stabilire, adstruere, & adsertum ire. Ut autem aliis ac præsertim solidioris notitiæ Theologicæ cultoribus ansam præbeamq;, in genuinū hujus Vaticinii sensum penetrandi, atq; simul viam & methodum idem ad praxin referendi monstremus, duo potissimum circa explanationem Dicit hujus Prophetici probe expendenda esse monemus. *Primo* quodnam sit *subjectum*, de quo Vates cum Ecclesia Judaicâ in versiculo allegato & vo loquitur; quando optant, *caelos rorare, & nubes pluere justitiam, & salutem, quidnam videlicet hæc mentio justitiae & salutis veniat?* Deinde postquam evictum fuerit, nullum alium, quam quidem *Messiam*, commemoratione *subjecti* illius esse intelligendum, subjienda erit descriptio *Mysterij incarnationis Filii Dei in utero B. Virginis*, quam Vates Esa. terminis modificatis per verba *roratio-*

nis desuper, stillationis & productionis de terra, proponit.
Subiectum itaq; hujus oraculi primò quod attinet loco, di-
ximus paulò ante, id ipsum variè, ab Interpretibus capi
& explicari. Ubi duo occurrunt agmina, ad quæ omnes
interpretationes commodè reduci poterunt.

Primo agmen ducunt ij, qui sensu temporali & corpo-
rali subiectum hocce in oraculo interpretantur, non o-
mnes tamen eodem modo. Quidam explicant justitiam
& salutem sensu reali eoque accidentali per auxilium & li-
berationem temporalem vel corporalem à triplici agen-
te vel causa oriundam & dependentem, quam vovisse &
optasse populum Israeliticum hoc in dicto existimant.
1. Nonnulli acceptam ferunt liberationem illam ipsi Deo,
eum justo vindictæ, ac beneficio protectori atq; liberatori
Ecclesiæ Judaicæ, sic explicat Tharg. Ionathæ per justitiam
intelligendo bonitatem Dei, וְיִשְׁעוּ יְהוָה. Ita etiam explicat
Rabb. Salom. in glossâ, ut & Rabb. David Kimchi.
Quam sententiam sequitur Tremellius in Bibliis. 2. Non-
nulli referunt liberationem illam & beneficentiam ad
Angelos in cælis habitantes. Ita vicissim Rabbi David
Kimchi in glossâ super h. l. dictum enim putat per modum
proverbii de salute obventura Israeli per Angelos, vel o-
pitulantibus Angelis: Ita etiam Aben Ezra super h. loc.
dictum est, inquit, per modum Imperativi ad Angelos, qui
vorare facient justitiam, & fructificabunt salutem & ve-
ritatem. 3. Nonnulli referunt ad Cyrum Persarum Regem,
eum futurum justitiæ administratorem & salutis Judaicæ
procuratorem. Ita Aben Ezra super illud וְיִשְׁעוּ יְהוָה quod est
ultimum verbum in hoc versu h. e. creavi ipsum וְיִשְׁעוּ יְהוָה
וְיִשְׁעוּ יְהוָה & sensus est, qui (scilicet Cyrus) faciet
justitiam in mundo. Eodem sensu explicat justitiam &
salutem temporalem per Cyrum præstandam Thomas,
Lyan. Forer, &c. Unde etiam intelligitur haud obscure
discre-

discrepantia inter prædictos autores *ratione temporis*.
Quidam enim respiciunt tempus liberationis ex captivitate
Babylonica, exactis 70. annis, id quod faciunt Autores
2. & 3. numero notati. Quidam v. respiciunt tempus
futurae resurrectionis ex mortuis; tunc enim ex sententia
ipsorum DEUS imponet finem omni malo, ac suis fide-
libus præstabit justiciam & salutem. hoc sensu explicat
liberationem istam divinam Thargum Verba Ebraea sic
reddendo: ישמרון שמיא מלעלא וענניא גרון טובא תפתח
אדעא ויהון מיתא וכותא תתלי יחדא
Planè ergò ad literam sic reddi & legi debet *Chaldaica*
Interpretatio: *Demittant celi desuper, & nubes stillent vel*
desfluere faciant beatitudinem, speriat sese terra, & revivi-
scant mortui, & iustitia vel premium dignitas ac meritum
revelabitur simul. Hinc Rabbi D. Kimbi de hac inter-
pretatione sic scribit d. l. ויהון מיתא וכותא תתלי יחדא
Est *Thargum*, vel expositio hujus versus de *vivificatione*
sive *resuscitatione* mortuorum. Cæterùm ut ad alienam
hancce, & minùs commodam Interpretum commemo-
ratorum sententiam respondeamus, ante omnia præsup-
ponimus, Prophetam in voto suo respicere non ad *Ex-*
treum judicium, sed ad *tempora status Judaici populi*, &
quidem pressi in *Babylonica captivitate*, uti antee-
dentia & consequentia firmissimè evincunt, ita ut opinio
Metaphrasæ Chaldaei de resuscitatione mortuorum prorsùs
sua sponte corruat, & evanescat. Ad l. ergò dicendum
est, Oraculum de temporali liberatione hęc intelligi
non posse; siquidem nullibi in sacris literis hoc pacto
liberatio & salus temporalis describitur, ut *voretur de*
caelis desuper, ut desfluat vel descendat instar pluvix 2.
quia aliquid in iusticiam & Myfici inquitur verbis Domi-
ni, qui dicit *בראתי אני* Ego Deus creo ipsum novum &
in-

inuitatum rationi & sensui humano absconditum, et
 itaq; revelationem impervestigabile: quale quidem li-
 beratio temporalis vel salus non est. 3. quia de tempo-
 rali sermone absoluto vers. priorib. 7. per *apostropham*
 ad Mysticum & spirituale objectum sermonem dirigat
 non sine suspirio ac ardenti voto pro liberatione spiri-
 tuali impetranda, ut Psal. 14. v. 7. Esa. 64, v. 1. Ideo ga-
 lij hoc loco verba parenthesis inclusa esse intelligenda
 ajunt. Ad secundum, iustitiam & salutem non posse *An-
 gelis* adscribi, ob defectum scripturae sacrae 2. quia non
 agitur h. l. de *temporali* salute & liberatione, uti supe-
 riore membro indicatum: 3. quia Angeli secundum fi-
 fidei analogiam auxilium praestare hominibus dicuntur,
non vero iustitiam. Ad 3. ob superius allatam rationem
 non posse in oraculo liberationem & salutem à *Cyro*
 praestandam v. s. intelligi, cum non agatur de *temporali*
 salute & liberatione.

Deinde quidam explicant *iustitiam & salutem* in hoc
 oraculo sensu *subsistenti*, vel *personali* de *Cyro* idq; se-
 cundum literam. Ita inter *Judaeos* Rabb. *Aben Ezra*.
 אני " בראתי צדק הויו סימן כורשוהטעם שיעשה הצדק
 בעולם

Ego Dominus creavi ipsam, intellige *iustitiam*, ubi
 affix: 1. de notat *Cyrum*, ut sensus sit, qui (sc. *Cyrus*) est
 facturus *iustitiam* in mundo. Inter *Christianos* ita ex-
 plicant de *Cyro*, *Thomas*, *Lyra* super hunc locum, ubi li-
 teraliter intelligit *Cyrum*, typicè verò *Christum* ejusq;
 adventum: ex recentioribus *Forer*: & nonnulli ex no-
 stratibus, praesertim *Dn. Joh. Tarnovius*, qui in *Exercita-
 tionib. Biblic. p. 73. s. 2.* sic scribit: *Quaestio est, num agat
 sensu literali primario de Christo? Quidam Patrum, & cum
 eis multi ita senserunt: Ego nego, cum expressè textus agat de
 Cyro Rege Persarum: Concedit idem in oraculo praes-
 tienti*

stenti posse subintelligi *Christum*, sed sensum *mystico* ceu
Cyriantypum: Sed multò minùs tale suppositum heic
mentionem *justicie* & *salutis* venire posse auctoritate ver-
bi divini fulti indubitato statuimus, quippe quod de
nullo puro. puro mortalium (qualis etiam *Cyrus* fuit)
ejusmodi locutiones in *abstracto* efferri patitur, ut dica-
tur *justicia*, dicatur *salus*, aliàs concretivæ formulæ etiam
de merè mortalibus uti alibi, ita in codice sacro non
sunt inusitatæ, ut dicantur *justi*, dicantur *servatores* vel
salvatores, neutiquam verò ipsa *salus*, ipsa *justicia*. Et sic
lustravimus prius Agmen Interpretum.

Posteriorius Agmen ducunt ij, qui sensu *spirituali* &
mystico subjectum, quod mentionem *justicie* & *salutis* in-
nuitur, explicant, suntq; in *triplici* differentia. Aliqui
per *justiciam* & *salutem* intelligunt, quæ in *Evangelio*
toti orbi offertur, cujus dispensator est *Christus*, ita *Cyrill.*
in commentar. super *Esa.* 1. 4. orat. 2. fol. 425. Alii de
remissione peccatorum & *spiritu S.* Alii de pace inter
Deum & homines intelligunt. Hi, & si qui sunt alii, sic
oraculum *Prophetæ* explicantes sensu planè conve-
niunt, quandoquidem intelligunt per *justiciam* & *salu-*
tem beneficia *spiritualia* per *Christi* meritum acquisita
& parta toti generi humano, & postea in præconio *Ev-*
angelii toti mundo oblata, Et si itaq; horum interpre-
tum pius sit sensus, propiusq; scopum tangat, quàm o-
mnes reliquæ expositiones præcedentes; nobis tamen
placet illorum expositio, qui per *justiciam* & *salutem*
ipsum Dei Filium, nostrum Immanuelem, & Messiam intel-
ligunt.

Hanc sententiam probamus, Primò à proprietatibus
Filii DEI, ipsi enim soli competit esse & dici *justiciam*
& *salutem*; *justiciam* quidem tum per *essentiam*, per quam
est

est verus DEUS, qui non tantum iustus est & dicitur. Sed
 etiam *justicia* ipsa ob carentiam omnis compositionis in
 DEO, tum per *acquisitionem* *justitiæ* respectu nostri, quo-
 rum vice legem perfecte implevit, *justitiæ* & DEI pro no-
 bis satisfecit obedientiâ suâ, & activâ, & passivâ quam
 postmodum nobis per fidem applicat, ut habeamur &
 reputemur iusti coram DEO inq̄ ejus judicio. *Salus* au-
 tem Salvator noster dicitur, quia est unica & solitaria
 nostræ salutis causa, ac ejusdem origo, fons & principiu-
 m, extra quem in nullo alio sub sole salus Actor. 4. 12.
 C. 10. v. 43.

Deinde à parallelis scripturæ locis, in quibus *Messias*
 noster ipse DEI filius mentione *justitiæ*, & *salutis* indigi-
 tatur *Esa. c. 47. v. 2.* Audite me, adduxi צדקתי *justitiam*
 meam non procul ab erit & salus mea ישועתי non tarda-
 bit; & dedi Zioni salutem meam, ubi *Chaldeus* ita habet:
 acceptate verbum meum h. e. *Messiam*, quem statim vocat
justitiam suam, & *redemptionem* suam, & dabo Zioni *Redem-
 ptorem*, *Israëli* gloriam meam, vel coronam meam, uti est
 in *Ebr.* in eandem sententiam introducit *justitiam* &
salus *Esa. 51.* pro ipso *Messia* v. 5. verbis iisdem ut cap.
 45. 8. ושמתי ימי ימי זרעתי וישי יצא צדקי יצא קרוב
justitia mea, egressa est *salus* mea, & *brachium* meum populos
 judicabit. Ad me *Insulæ* congregabuntur. *Chaldeus*, ad
 Verbum meum, h. e. *Filium DEI* in *sula* colligentur. Confer.
 v. 7, 8. cap. 56. v. 1. c. 61. v. 12. c. 62. v. 1. & 12.

Tertio probamus sententiam nostram ab effectu,
 scilicet à *salvatione* *Israëlis*, salute non temporali, sed ater-
 nâ, cap. præsc. v. 17. *Israël* salvatur in *Domino* salute ater-
 na. Ubi duo notanda 1. *Salvatoris* vel *salutis* opus adscri-
 bi non alicui creaturæ, adeoq̄ nec *Angelis*, nec *Cyro*, sed
 ipsi *Domino* *Lehova*, per quem ipse *Filius DEI* omnino in-

elligitur uti habetur *Ose. cap. 1. v. 7.* Ego Dominus salva-
bo domum Juda & Israel in Domino DEO ipsorum. Ubi
Interpres *Chald. Ionathan.* utrumq; locum de *Christo* sal-
vatore explicat; Eodem sensu de Messia explicat hunc
versicul. 17. Esa. c. 45. R. Salom. in glossa super Dan. ad
verba *וְרַפְּרָזְנִי* h. e. justificabitur sanctorum. Conferen-
tiam *Medrach Thehillim supra Psal. 88. & super Psal. 36.* ubi
dictum hocce *c. 45. v. 17.* de DEO Messia dilucidè ex-
plicatur. 2. saluationem vel redemptionem, & salutem
illam esse non temporalem vel caducam, sed eternam ad
quam respicit *spiritus S. Hebr. cap. 9. v. 12.*

Quartum probationis argumentum desumimus
ab officio Messia, qui est & dicitur *Iehovah* iusticia nostra
Ier. c. 23. v. 6. c. 33. v. 16. Uade Divus Apostolus Chri-
stum ait à DEO nobis factam esse sapientiam sanctificatio-
nem, redemptionem, & iusticiam *1. Cor. 1. v. 30.* Hinc dicitur
Messias *DEVS salvans*, solus & non alius præteri-
psum *cap. 45. Esa. v. 21. 22.* Huc pertinent alia Messia
epitheta officium ipsius denotantia, ac de ipso in abstra-
cto efferuntur, quomodo dicitur *salus, lux, & lumen*, usq; ad
extremitates terræ *Esa. 49. v. 6. c. 60. v. 1.* Confer.
Joh. c. I. v. 4. 5. 7. 8. 9. c. 8. v. 12.

Quintum pro adituendâ sententiâ nostrâ desumi-
mus argumentum ab explicatione *Divi Pauli Rom. 14.*
v. 11. ubi ex præsentia capit. *Esa. 45. v. 23.* de Messia s.
de *Immanuele* nostro interpretatur, verbaq; *Iehove* apud
Prophetam jurantis & loquentis, ad Christum applicat
v. 10. Omnes fidemur ante tribunal Christi *v. 11.* scri-
ptum est enim: *Nun ego dicit Dominus, mihi sese flectes*
omne genu &c. Itaciam *Philipp. c. 2. v. 10. 11.* Div. Paul.
respicit ad *c. 45. Esa. v. 23.* ut in nomine Iesu se flectat
omne genu, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus I.
Christus s. ad gloriam DEI Patris.

Sextum suppeditant Testimonia auctorum verba
Propheta in oraculo presenti de Messia explicantium,
 cum Judaeorum, cum Christianorum. Inter *Judeos* qui-
 dam omnes versiculos cap. 45. non de *Cyro* sed de nostro
Messia accipiunt & intelligunt, ne illis insuper verbis
 exceptis ubi v. 1. fit manifesta *Cyri* mentio, elogio *Messiae*
Domini seu uncti salutari. Ita tradunt *Rabb. in Talmu-
 dico tractatu* qui *Megilla* appellatur cap. 1. נאמר פסוקי fol. 117
 ubi formalia codicis praenominati in lib. שלש עשרה ימים
Cracoviens. repetuntur: Eandem sententiam ex *Thal-
 mud* reperit *R. Salomon. in glossa* super c. 45. *Esa. v. 1.*
 Hinc *R. Abraham* super *Davielem* statuit opinionem ejus,
 qui dixerit, *Cyrum esse Messiam Domini, non esse congruam.*
 Atq; inde concludit *Petrus Galatinus*: secundum *Veteres*
Judeos, Cyrum in Esa. Messiam non esse vocatum. Si tamen
 dicendum, quod res est, negari minimè poterit, verba il-
 la secundum literam esse divinius ad *Cyrum Persarum*
Regem directa, & prolata; sub cujus figura *Christus Messias*
 noster erat adumbratus, ac connotatus ceu *Antitypus* sub
Typo; atq; sic de *Persarum Rege Cyro* ceu *Christi Typo* in-
 telligenda, quæ *Spir. S.* tradit *Esa. c. 44. v. 28, c. 45, v. 1. ad*
8. & post v. 13. 14. cap. 46. v. 11 c. 48. v. 15.

Inter *Christianos* familiam mentio ducit *Cyrillus* su-
 per *Esa. h. l.* Erat inquit, hæc Narratio (v. 1. ad 9. usq;,
 de *Cyro Persarum Rege*) particularis. Deinceps v. senten-
 tiarum vim transfert jam ad ipsum *Immanuel*. Et post:
 Potest etiam quis dicere *Misericordiam* (sive salutem) &
justiciam ex terra nascentem & germinantem ipsum *Domini*
num nostrum I. C. Suffragatur *Cyrillo Div. Augustinus lib.*
de heres. s. c. 4. ubi locum hunc de *Christi incarnatione*
 adeò luculentè differere statuit, ut interpretatione mi-
 nimè indigeat. Autoritate isthac prædictorum *Ecclesiaz*

Doctorem moti *Patres in Concil. Hispal. can. 13.* conclusere-
runt: hisce *Esa:* verbis *utramq; in Christo Naturam* signifi-
ficari, *divinam* quidem, quando inquit: *Rorate cæli desu-*
per, humanam v. cum ait: *aperiatur terra & germinet sal-*
vatorem: Huc facit colloquium *Divi Gregentij Archiepisco-*
pi Tephrensis cum *Herbano Indæo Legis Doctore* habitum de
Messia, ejusq; *persona & officio* in præsentia aliquot mil-
le hominum utraq; ex parte tam Christianorum, quam
Judæorum, eventusq; colloquij hic fuisse fertur, quod post
Christi visibilem in conspectu omnium Majestaticam &
gloriosissimam apparationem ejusq; insuper auditam
vocem, qua Judæis incredulitatem exprobrabat. *Herba-*
nus cum 5000. Judæorum ad fidem Christianam statim
conversus & baptizatus sit: quam historiam literis con-
signasse statuitur *Palladius Archiepiscopi Scholasticus* seu
discipulus, quem ab *Alexandria* secum ad colloquium
adduxerat: uti legere est *tom. V. Bibliothec. Patr. part. II.*
fol. 942. Faciteq; ad nostrum institutum, quod *Gregentius*
præsens *Esa. c. 45.* de Christi adventu in carnem contra
Judæos protulerit & urserit.

Hactenus sensum versiculi, quâ *subjectum* genui-
num evicimus, ac non nisi per *justiciam & salutem*, ipsam
Messiam intelligendum esse, probatum dedimus: Jam
paucis respondendum erit ad differentientium contrari-
as objectiones, missis a. alijs, quippe levioris momenti
(quas desumunt à *vocabulis abstractivis justicia, salutis &c.*
ac si Christo minus aptè accommodari possent, cum ta-
men contrarium in exegefi à nobis probatum sit) so-
lummodò ad *B. Lutheri* auctoritatem breviter respon-
debimus.

Initio obicitur nobis *glossa Lutheri marginalis* in hæc
cerba super *c. 45. vom König Cores redet Er/dasser fomen* fol

solund' h'elffen dem Volck' Israel. Resp. Glossam Lutheri
à dissidentibus impertinenter allegari, quippe respti-
cientem non vers. 3. de quo controversia est, sed *septi-
mum*, & reliquos antecedentes, atq; ita glossa Lutheri no-
bis minimè adversatur. Concedimus enim haud invi-
tià v. 1. ad 8. sermonem esse de *Cyro*. Quoda glossa Lu-
theri propriè non ad 8. sed præcedentes versus spectet,
comprobant id ipsum pleraq; *exemplaria Germanica*, in
quibus nota illa remotius à v. 8. sejuncta, ac præcedenti-
cus *ἐν παραλλήλων* marginaliter adscribi 2. si quis a. plu-
ra exemplaria produxerit, in quibus simul glossam il-
lam interjecto asterisco verbis vers. 8vi non nisi ad e-
jusdem declarationem pertinere morosè urserit, id re-
sponsi habeat, nos heic modeste à *Viromagno* dissentire
salva per omnia ipsius autoritate, scientes in explica-
tione minùs dilucidorum scripturæ S. dictorum, in qui-
bus non primariò sedes articuli fidei fundatur; dissensum
modestum esse licitum salvo fidei articulo, salvâ itidem
Majorum nostrorum autoritate & reverentiâ, præsertim
cum prægnantes dissensus nostri suppetant rationes su-
pra allatæ.

Præcipuè urgent ex altera parte *Tom. 3. Ienens. Com-
mentar. B. Lutheri super Esa.* in quo invenitur in Pontifi-
scios, quod versic. 8. cap. 45. ad *B. Mariam* accommo-
darint: *Nos autem scimus, inquit, agi in hoc cap. de promissa
liberatione per Cyrum.* Resp. 1. ex scopo *B. Lutheri* ipsi-
met fatemur, *Papistas* pessimè hoc versiculo abusos esse,
& adhuc, quoties *B. Virginem* salutis nostræ & justiciæ
Efficitricem & *productricem* statuunt, ut & *adjutricem* ope-
ris redemptionis. Sic enim hodieq; d'scent *Pontificij* ex-
plicando verba v. 8. *aperiatur terra & fructum edat h. c.
salutem & justiciam, quas simul virgo productura est cum*

caro, & reconciliatus DEVS (non extra sed per *Christum*)
reduceremur &c. vid. *Tom. III. Ienens. fol. 390.*

Sed factis de *Primò*. Reliquum nunc esset, ut *descrip-*
tionem Mysterij incarnationis verbis Prophetæ propo-
sitam breviter expendere. Sed quia propositi ra-
tio modum programmatis excederet, reservandum erit
hocce institutum commodiori, si DEO placuerit, occasio-
nem ob causam allatam, tum penſi habito *B. Athana-*
sij salutaris monito *To. 1. de incarnat. contra Apollinarē. 614.*
Ubi unum huncce finem homini Christiano indefessâ
solicitudine perpendendū piè & cordatè cōmendat, ἵνα
σιωπῇ σέβειν τὸ πᾶν, καὶ ὀχλεύσῃς βοῆς ἀναμνῆν τὸν εὐεργέτην
θεόν silencio venerari omnia, & Deum benefactorem lau-
dibus cum gratiarum actione concelebrare. Silentio ita-
que magis venerantes, & adorantes *μυστήριον* hocce ὁμο-
λογημένως μέγας, arcanum citra controversiam magnum,
in quod ipsi Angeli introspicere desiderant, quam de eo,
pro infantia nostra pluribus balbuire pergentes; DEO
teroptimo Maximo ceu benignissimo nostro Evergetæ
& Benefactori laudes devoto pectore & ore persolvimus,
quod nostri miseris non solum Salvatore totum Mundo
donare; sed etiam eundem in plenitudine temporis in
carnem mittere voluerit. Adoramus meritò *Immanuelem*
nostrum, eiq; debitas grates persolvimus; quod sese tam
profunde exinanire, nostramq; humanam Naturam in
utero *B. Virginis* assumere dignatus sit: Atq; voces no-
stras cum Angelico choro extollimus clamantes; *San-*
ctus, sanctus, sanctus est Dominus DEVS Zebaoth; & iterum atq;
iterum cum cantoribus cælestis militia ingeminantes
& canentes: *Gloria in excelsis DEO, pax hominibus, in ter-*
ris bona voluntas! Erumpat verò debita nostra gratitudo
in opera DEO grata, & proximo nostro proficua. Siqui-
dem

dem Filij DEI incarnati opera non solum Sacramento
nobis utilia sunt; sed etiam imitationis exemplo, si in
disciplinam ipsa remedia transferantur, quodq; impen-
sum est mysterijs, profit & moribus, ut meminerimus,
nobis in pietate, castitate, sobrietate, diligenti ausculta-
tione verbi, frequentatione concionum sacrarum, mo-
destiâ, mansuetudine, humilitate, & reliquis virtutibus
Salvatoris & Redemptoris nostri esse, non solum duranti-
bus *Ferijs Natalitiorum*, sed etiam posthac in defestatio-
dio vivendum. *Frustra enim appellamur Christiani, si imi-
tatores non sumus Christi, qui idcirco se viam dixit esse, ut con-
versatio Magistri forma esset discipuli, & illam vitam elige-
ret ac viveret servus, quam vixit & sectatus est Dominus,*
inquit *Leo sermon. V. sub finem.* Insuper ad præsepe &
incunabula *Iesuli* flexo cordis poplite devotè veneremur
cum supplices, ut *Serenissimum, Potentissimum ac
Invictissimum Regem Poloniae Vladislaum IV. Dominum
ac Regem nostrum Clementiss. Serenissimum itidem
ac Celsissimum Principem, ac Electorem Brandenburgicum,
Dominum ac Nutritium nostrum* inclusum unâ cum to-
to regno & provinciâ hac, nec non cum proceribus ac
statibus, gratiæ suæ divinæ rore cœlitus perfundere,
prosperitate omnimodâ beare, nosq; una cum ipsis opta-
tissimi mâ pace, ceu *Princeps Pacis* clementer exhilarare di-
gnetur, quâ postmodum securè & tranquillè potiri An-
gelico hymno redhostire ei omnes & singuli que;
amus in præsenti & futuro seculo!

A M E N!

*IN NATIVITATEM CHRISTI SALVATORIS
HOMINUM.*

A Nimis attentis vigilandum,
Ratio seculi perpendenda est,
Quid subsit novitatis in hisce
Oris, quæ nunc luce refulgent
Insolitâ, mentésq; fatigant.
Supero venit nuncius ad nos
A tractu, nova gaudia pandens,
Populis quæ cunctis ventura.
Nam natum de Mariâ cantat
Virgine castâ, regibus ortâ
Proavis, Salvatorem mundi,
Quo nusquam majus decus ortum.
Hunc Heroa libet modò divum
Fibris castis, pectore puro, &
Contemplari lumine dextro:
Qualis sit persona, genusq;
Unde trahat, qui sanguine juncti,
A quibus & nos veniat damnis
Servatum, quæ mala sublatum.
Qualis sit, si cura revolvat,
Humanum pronunciat ales
Flammiger alti Numinis inde,
Quod genus humanum sibi curæ
Ostendar fore voce Parentis,
Coeli fluidos qui regit orbes,
Infernas & suppressit iras.
Voluerunt hunc secula Patrum
Oculis conspectare serenis.
Sed felicia tempora nostra
Magè sunt, quàm quæ præterlapsa,
Genus humanum Lerna malorum
Multiplicem per seriem lustrî.

Preffit, ne fors carperet auras
Vitales, nec meditaretur
Debita Triadi munera cordis,
At quis Stygiæ robora turmæ
Inhibens, nobis signa salutis
Prodidit, ut secura maneret
Cœlesti concessa favore
Vita, cui gens præva minatur.
Qui sceptrum gestare decorum
Soliti, qui fulvumq; metallum
Claustris mille tenent, nihil ausi,
Animum desponderè volebant.
Plurima stimulis Erebi Furia
Pectora dementata regebant,
Ut medio depellere recto
Stolidi tentarent mala votis.
Maculis at nil valuit cæprum
Aspersum, pudor omnia textit.
Imò quod mirum, Draco magnus,
Hominum seductor primævus,
Affectus detraxerat omnes,
Indiderat quos arbiter orbis.
At solus, modò NATVS JESVS,
Caro de nostrâ carne, propinquat,
Flagrans hominum totus amore,
Hunc nunquis neget esse faventem?
Vel, num valeat robore, quærat?
Hostes an contra suâ possit
Brachia pronò tollere cœlo?
In terris nemo fuit unquam,
Cui tam gratæ dona salutis
Competerent virtute paternâ,
Populi qui vindex audiret
Sub joye, sub Zonisque polorum.

Passim per deserta viarum,
Per sylvas, per saxa, per agros,
Aut ubi tellus æquore fertur.
Robore genitus valuit Superis
Alcides, est Simsonis ardor
In sacro codice creber,
Hector celsæ gloria Trojæ,
Soboles divûm claret Achilles:
Sed non tanta potentia cunctis
Obtigit à donante Jehovâ.
Superat virtutes has omnes
Mariæ proles virginis almæ,
Dum mundi SALVATOR habetur,
In quo dispersæ habitant gentes.
Factio neget impia nunc Dominum,
Qui rerum contorquet habenas.
Deus est Rex cœli, terræq;
Cujus nî sit soboles CHRISTVS,
Quò spectare putes genus ejus,
Erebum qui perterret nutu,
Qui tollit mala quæq; futuræ
Vitæ, præsentisq; monarcha?
Huic cum Patre canamus in ævum,
Et sancto cum Flamine, laudes,
Quas cœlestes resonent orbes,

M. Christophorus Eilar dno
P. P.

